



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

Initio præsentis quæstionis; cum jus instituendi fuerit in casu præsentis reservatum in limine foundationis Beneficii de consensu Episcopi inferiori habenti Jurisdictionem quasi Episcopalem. Cæterum
 10 quod institutio spectet ad Ordinarium, & non ad alium simplicem inferiorem procedit in Beneficiis collativis, secus in Cappellaniis merè Laicalibus; respectu

namque harum fundator non solum potest reservare plenam, & liberam dispositionem simplici inferiori; verum etiam ipsismet Laicis, eis relinquendo electionem, seu deputationem, seu provisionem, seu positionem Cappellani, cum prohibitione nè ordinarius, aut alius superior se se intromittat; juxta superius deducta
 Par. 2. Can. 4. 5. 6. 7. & 8. Caf. 3. n. 1.

C A N O N I I I.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XIV. Cap. XIII.

NON liceat præterea Patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad Beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quomodo præsentare: aliàs præsentatio, ac institutio, forsitan, & secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc Canone sequens deducitur conclusio.

PRÆSENTATIO FIERI DEBET CORAM ORDINARIO HABENTE INSTITUERE, ALIAS IPSA, ET INSTITUTIO INDE SECUTÆ, SUNT NULLÆ = Quam conclusionem probant etiam *Roch. de Curt. de jurepat. verb. honorificum num. 76. & 81. Lambertin. eodem tract. lib. 2. par. 2. quæst. 4. art. 1. n. 1. & art. 4. n. 2. Vivian. eodem tract. lib. 8. cap. 7. num. 1. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 6. num. 33. Card. de Luc. de jurepat. disc. 64. num. 31. Rot. decis. 2. num. 9. coram Priolo, & decis. 889. num. 1. coram Merlin., & deduxi superius Par. 2. Can. 4. 5. 6. 7. & 8. in Comment. Conclus. quarta.*

I. Ratio hujus Conclusionis desumitur hinc ex *Canone I.* quia nimirum Episcopus debet examinare, & inquirere an Præsentatus sit idoneus, quod fieri non potest, nisi præsentetur, & exhibeatur coram ipso; Quod procedit sive institutio spectet ad Episcopum, sive ad inferiorem; cum hac tamen differentia, quod si institutio spectat ad Episcopum; præsentatio est coram eo facienda, tum quoad effectum institutionis, tum quoad effectum examinis; si verò spectat ad inferiorem, præsentatio est coram eo facienda, quoad effectum examinis dumtaxat *Garz. de benef. par. 9. cap. 3. n. 19. vers. duodecimo Lotter. de re benef. lib. 2. d. quæst. 6. n. 33. Barbof. hic num. 1.*

Ultra casus superius examinatos *Par. I. Can. V.*, sequentia hinc differuntur:

ARGU.

ARGUMENTUM.

Sede Episcopali vacante Præsentatio fieri potest coram Vicario Capitulari, Quid si Vicarius Capitularis sit nulliter electus, an Præsentatio facta coram ipso sustineatur?

SUMMARIUM.

- 1 Vicarius Capitularis, Sede Episcopali vacante, quamvis non possit conferre beneficia liberæ collationis, potest tamen instituere Præsentatos; & Patronus potest coram ipso validè præsentare; & num. 2. & 5.
- 3 Vicarius Capitularis, si institutio spectet ad inferiorem, potest Præsentatum examinare.
- 4 Capitulum per mortem Episcopi succedit in jurisdictione Episcopali.
- 6 Præsentatio facta coram Vicario Capitulari nulliter electo est nulla, & non sustinetur.
- 7 Major pars Capituli, si eligat non Doctorem, nec licentiatum in jure Canonico in Vicarium Capitularem, electio est nulla; & num. 11. Amplia, ut n. 8.
- 9 Electio Vicarii facta per vota publica non sustinetur.
- 10 Electio Vicarii Capitularis facta à minori parte Capituli, est nulla, & n. 11.

CASUS UNICUS.

Pastore viduata Ecclesia Cathedrali A, eodem tempore, quo vacabat Beneficium B, de jure patronatus; fuit convocatum Capitulum pro electione Vicarii Capitularis, in quo intervenerunt viginti sex Capitulares, quorum quindecim elegerunt per vota publica in Vicarium Præmicerium, qui non erat in jure canonico, nec Doctor, nec Licentiatum. Alia verò undecim suffragia Archidiaconus J. U. Doctor reportavit; Orta lite super validitate, vel nullitate harum electionum; Patronus hoc interim existimans Archidiaconum, utpotè Doctorem esse verum, & legitimum Vicarium Capitularem præ-

sentavit coram ipso ad dictum Beneficium vacans quemdam Clericum idoneum; quæritur an hujusmodi præsentatio sustineatur?

1 Primo aspectu affirmativè respondendum videtur; Vicarius namque Capitularis Sede Episcopali vacante, quamvis non habeat facultatem conferendi Beneficia liberæ collationis, cum hæc sint reservata, Sedi Apostolicæ vigore Regulæ Secundæ Cancellariæ, & Constitutionis D. Pii V. Bullar. nov. in ordine la 55. ea ratione, quia libera collatio beneficiorum non est actus jurisdictionis necessariæ, & contentiosæ, sed jurisdictionis voluntariæ, in qua per mortem Episcopi non succedit Capitulum, juxta Gemin. in cap. 1. num. 7. de instit. in 6. Imol. in cap. illa nē sede vacante n. 1. & 5. ibiq. Butr. n. 1. Fagnan. in cap. cum olim de ma. & obed. n. 34. Lotter. de re Benef. lib. 1. quest. 21. n. 34. & lib. 2. quest. 2. n. 5. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 4. cap. ultim. num. 46. Rot. decis. 590. n. 4. cor. Buratt. & in Abulen. Cappellania 26. Januar. 1715. S. Reservatio, & S. Proindeque coram Eminentissimo Scotto, & in alia Abulen. Cappellania 28. Junii 1715. S. Multoque minus, coram R. P. D. Ansaldo.

2 Potest nihilominus conferre Beneficia patronalia, & consequenter Patroni validè præsentare possunt coram Vicario Capitulari, & iste validè, ac legitimè Præsentatos Sede Episcopali vacante instituere valet, quia collatio ad præsentationem Patronorum, seu institutio est actus jurisdictionis necessariæ, cum propter præsentationem à Patrono factam differri non possit, in qua defuncto Episcopo succedit capitulum ad tradita per Gonzal. in cap. 2. nē Sede vacante num. 5. ibiq. Fagnan. n. 15. & seq. Barbof. n. 5. Lambertin. de jurepat. p. 2. lib. 2. quest. 2. art. 6. num. 2. & seq. Garz. de benef. par. 5. cap. 7. num. 54. & seqq. Virvian. de jurepat. lib. 12. cap. 2. n. 10. Antonell. de Regim. Eccles. cap. ultim. lib. 4. §. 4. n. 48. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 1. §. 3. n. 37. Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 72. n. 183. Rot. decis. 32. n. 7. coram Millin. & in Segobien. Canonicatus 9. Martii 1705. S. Non refragantibus, cor. Eminentiss. Scotto.

3 Quin imò Vicarius Capitularis Sede Episcopali adhuc vacua, si institutio spectet ad

ad inferiorem, potest præsentatum examinare; *Gemin. in cap. etsi capitulum de instit. in 6. n. 3. ibiq. Passerin. n. 3.*

4 Minimè obstante quod Concilium prohibeat in hoc Canone præsentationem fieri alteri, quam Episcopo loci, ad quem institutio jure pertinet; quia cum per mortem Episcopi succedat Capitulum in jurisdictione Episcopali, Capitulum, seu ejus Vicarius habetur loco Episcopi, & præsentatio facta coram Vicario Capitulari reputatur, ac si esset facta coram Episcopo, *ad Text. in cap. cum olim de ma. & obed. ibiq. Abb. Anan. Gonzal. Barbof. n. 3. Fagnan. in cap. 2. nè Sede vacante num. 8. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 5. n. 23. & disc. 11. n. 30. & disc. 64. n. 33. de jurepat. Rot. dec. 346. n. 2. par. 1. rec.*

5 His tamen non obstantibus censeo in casu præsentati præsentationem factam à Patrono coram Archidiacono in Vicarium Capitularem, ut supra electo non sustineri. Quoniam vera quidem est, ac in contravertibilis regula quod Patronus Sede Episcopali vacante possit validè præsentare coram Vicario Capitulari, & quod iste Præsentatum instituere valeat; ita enim docent non solum Auctoritates superius relatæ n. 2.; sed expressè etiam sancitur à Bonifacio VIII. *in cap. etsi Capitulum de instit. in 6. ibi = Etsi Capitulum Sede vacante Beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit: Præsentatos tamen à Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati; Licet ad Episcopum si superesset admissio, & institutio hujusmodi pertineret = ibique Gloss. Gemin. n. 2. Passerin. n. 1.* Difficultas stat in 6 illius applicatione, dum ipsa procedit in Vicario electo ad formam Concilii *cap. 16. sess. 24. de reform.*, non verò in casu, quo Vicarius capitularis sit nulliter, & invalidè electus; hoc enim casu sicuti taliter electus est illegitimus, & nullam habet jurisdictionem, ita Præsentatio facta coram ipso erit nulla, & illegitima.

7 In præsentiarum Archidiaconus, coram quo fuit facta præsentatio à supraddicto Patrono, fuit nulliter, & invalidè electus in Vicarium Capitularem; Convocato namque Capitulo post mortem Episcopi; major pars capitularium elegit in Vicarium Primicerium, qui non

Pars V.

erat qualificatus ad formam Concilii ubi supra, scilicet non erat nec doctor, nec licentiatum in jure Canonico, adeoque nulliter illum eligit *Garz. de benef. par. 5. cap. 7. n. 9. Pignattell. consult. 34. n. 2. & 4. tom. 8. Barbof. ad Concil. sess. 24. cap. 16. num. 26. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 4. cap. ultim. §. 5. n. 53. S. C. C. in Cotronen. 8. Junii 1595.* Maximè cum in Capitulo 8 aderant plures Capitulares graduati, & Doctores, tunc fortius si eligatur in Vicarium Canonicus non Doctor, nec licentiatum electio est nulla, ut tuentur *Garz. ubi supra num. 12. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 15. §. 2. n. 11. & seqq. Card. de Luc. ad Concil. disc. 31. n. 10. Monacell. formul. legal. 10. tit. 16. n. 13. tom. 2. pag. 254. & S. Cong. Concilii in Tarraconen. mense Febr. 1590. decrevit = Electionem esse nullam si ex gremio Capituli prætermisso Doctore, alius quantumvis antiquior eligatur, facultatumque eligendi devolvi ad Metropolitanum, vel vicinorem = Et in Lancianen. 18. Augusti 1668. censuit = Deveniendum esse ad novam electionem Vicarii Capitularis, eo quod jam electus non est doctor, qualis in Capitulo adest, juxta præscriptum Concilii = Et in Tricaricen. anni 1592. declaravit = Electionem Vicarii non Doctoris à Capitulo Sede vacante factam esse nullam, si alii extra Capitulum Doctores idonei, ut proponitur, existebant =*

9 Insuper dictus Primicerius fuit electus per vota publica, & sic nulliter; siquidem, quamvis *Antonell. de Reg. Eccles. lib. 4. cap. ultim. §. 5. n. 58.* sentiat, non esse necessarium, quod electio Vicarii Capitularis fiat per vota secreta; hodie tamen prævaluit contraria opinio, juxta quam dicta electio facienda est per vota secreta, & facta per vota publica est nulla juxta *Nicol. in floscul. vers. Vicarius capitularis n. 55. & in lucubrat. utriusque juris par. 2. lib. 1. tit. 6. sub n. 14. vers. limitatur quarto. Pellegrin. in prax. Vicar. par. 1. sect. 4. subsect. 1. n. 8. Monacell. in formul. for. Eccles. tit. 1. formul. 2. n. 11. p. 1., & novissimè S. Congregatio Concilii, me studente apud R. P. D. meum Petra in Alexanen. Vicarii Capitularis 17. Decembris 1712. declaravit nullam electionem Vicarii Capitularis factam votis publicis, & apertis.*

10 At ex eo quod præfata electio facta

M

per

per majorem partem Capituli in persona Primicerii sit irrita, non proinde sequitur quod sit valida, & conclusa electio Archidiaconi in Vicarium facta à minori Parte; Etenim quod eligente majori parte non idoneum, & inhabilem, totum jus consolidetur in minori parte, procedit in casu, quo electio competat pluribus uti universis, quia in hoc casu, cum jus eligendi resideat penès Universitatem, vel penès majorem partem universitatis, attenditur solum quod fit à majori parte, non curato eo, quod fit à minori. *Lambertin. de Jurepat. lib. 2. par. 3. q. 4. art. 5. n. 1. Rot. decis. 568. n. 2. par. 2. rec.* Et ita ¹¹ resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Acernen. Vicarii Capitularis 23.*

Febr. 1709. ubi cum major Pars Capituli elegerit in Vicarium non Doctorem, & minor pars deputaverit alium Laurea doctoratus insignitum, S. Congregatio declaravit *neutram electionem sustineri*; cui consimilis fuit altera resolutio in *Nazarena Electionis Vicarii Capitularis 11. Septembris 1717.*, ubi cum ex viginti sex Capitularibus, quindecim, elegerint non Doctorem; & undecim, alium Doctorem, in jure Canonico, censuit *neutram electionem sustineri, & facultatem eligendi devolutam esse ad viciniorum*. Si igitur praefatus Archidiaconus fuit nulliter electus in Vicarium Capitularem, sequitur quod praesentatio coram ipso facta sit nulla, & non sustineatur.

C A N O N IV.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXI. Cap. VII.

CUM illud quoque valdè curandum sit, nè ea, quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuria adolescant, & ex hominum memoria excidant, Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint Beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias locorum eorumdem, seu vicinorum, arbitrio suo: atque in eisdem Ecclesiis erigant Altaria, vel Cappellas, sub eisdem invocationibus: vel in jam erecta Altaria, vel Cappellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus Ecclesiis impositis; Parochiales verò Ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas, refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis, ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione,

& con-